

De  
**MYSTERIIS**  
**NATURÆ**

ARTICULI,

*Ex determinata maxime Philosophia notione  
concepti.*

Quos,

DIUINIS SUB AUSPICIIS,

*Adprobatione Ampliss. ad Auram. Ord. Philos. benignissima,*

AUCTOR

**LAURENTIUS GEEENBÄCK,**

Et Respondens

**ABRAHAM FROSTERUS,**

*Ostrobothniensis*

Placido rite philosophantium examini fistunt  
ad d. VII. Iunii, Anni MDCCXXXVI. L. & H. C.

---

Typis expressit Aboæ Ioh. Kiämpe, R. Acad. Typ.


S:æ R:æ M:tis  
SUMMÆ FIDEI VIRO,  
Illustrissimo Celsissimoque  
COMITI AC DOMINO,  
**DN. ERNESTO**  
JOHANNI  
**CREUTZ,**  
Regis Regnique Sueciæ  
SENATORI,  
Academix Aboensis  
CANCELLARIO,  
MÆCENATI SUMMO.

ILLUSTRISSE CELSISS MEQUE  
COMES.

**M**editationes hæc vilissimas ad Aularum non modo,  
ex obscuro, se efferre splendorem, sed etiam TULLIUS  
**C**ELSISSIME COMES, subire conspectum, circulosque turbare,  
intra quos Regni arcana, & negotia, immortali meritorum  
glo-

Opinionum commenta delet dies; na-  
turæ iudicia confirmat. Cic. de Nat.  
Deor, L. 2.

## LAURENT. ELEGANT.



## ARTICULI GENERALES.

### S. I.

**P**ostquam publica Musagetarum auctoritate E-  
ruditi cœperunt in collegia coire, scientiis ex-  
colendis insudantia, vox *Philosophie*, latioris an-  
tea usus, angustioris significatus inclusa est can-  
cellis. Vnde scientiarum cum quatuor in academiis  
iam obtineant ordines, seu facultates, hæc ita sumi  
solent, quatenus scientiam Theologicæ, Iuridicæ, &  
Medicæ, contradistinctam constituit.

### S. 2.

**Q**uo sensu Philosophia determinator non temere  
datur conceptus, quam quod sit *scientia possibili-*  
*um, quatenus esse possunt*. Eo enim iuste adigitur mens  
ad certitudinem, quanta vñquani dari potest, lectan-  
dam, ne quid gratis adsumat, ne præcipiti ad sensu  
tentiam festinet; sed vt, demonstrandi modis ad-  
sueta, ex certis principiis ad certas & legitimas con-  
clusiones descendat. Eo instruitur de cognitionis,  
cui studendum, sublimitate, quod non in cortice ex-  
ternorum accidentium rerum subsistere, nec ea in iis

A

Com

**s** combinare debeat, quæ ad se invicem determinata non sunt; sed ut *possibilitates*, hoc est, essentias ipsas scrutetur; notiones de singulis, conuenientes esentiis, ita formet, ut distinguat, quæ simul distingui possunt, pro ordine, quo se connexa excipiunt. Eo mens in statu semper detinetur inquisitionis ad rationes plurium in dies possibilium indagandas, actualitatisque eorum in datis quibusvis casibus, cur in illis hæc potius sint, aut fiant, quam alia.

§. 3.

**M**odus autem, quo, tardo sacerdorum gressu, ad illud falligium surrexit Philosophia, in quo iam conspicitur, duplex omnino fuit. Cum enim mens humana vel sola ad perceptiones suas adtentio, vel incognitorum ex antea cognitis collectione, aliquid cognoscat, incrementa, quæ illo modo cepit Philosophia, *a posteriori* per experientiam esse dicuntur, quæ hoc modo, *a priori* per rationem. Et horum alter cum sine ope alterius bene consistere nequeat, tali experientiam & rationem Eruditi coniunxerunt connubio, ut mutuam semper traderent operam in adyta Philosophiæ reserandis.

§. 4.

**H**ic experientiæ & rationis in cognoscendo cursus, hoc connubium, utramque in Philosophia quamuis faciat paginam; manebunt tamen alternae illorum vices, ne ita temere misceantur, ut obiecta, quæ experientiæ sunt ratio sibi vindicet. Inde enim magno veritatis cum detimento monstruosum illud

illud excluditur *subreptionis* vitium. Est ergo experientiae, sensuum ope, existentiam rei detegere, rationis essentiam ipsius: experientiae qualitates; & effectus aperire, rationis causas, agendique modum: experientiae extensionem, rationis extensorum proportionem. Rationis hic potiores partes sunt. *Hæc* cursum per *ancipitia fluctuantium* diriget.

§. 5.

**D**ictum essentias possibilitatibus absoluti §. 2, inque das inquirere rationis esse §. 4. quod miniata æquioris Aristarchi cerula licet notari vix possit, paucis tamen est dilucidandum. Communi id Eruditorum conuenit sensui essentiam appellare primum illud, quod de re aliqua concipitur, quod fundamentum est cæterorum, quæ rei necessario competunt. At prior essentiæ rei conceptus intrinseca ipsius possibilitate non datur; cum ea destituta actum consequi nequeant, utpote quæ, in isto casu, contradictioni inuoluta iacent. Hanc iam ratio, vt est facultas a sensibus inchoata, ex effectibus & operationibus, quæ tenet indubia observationum & experimentorum fide, non vtrique irrito in omnibus conatu, inuestigat; quatenus est necesse, rebus singulis ut insint vires, effectibus respondentibus, per quas producuntur, & quibus sunt homogenei. Vnde ad earum essentialem colligere licet constitutionem Quid? quod nobis ipsis, & nubi variarum opinionum si nimis non immersi esse mus; si intelligentia nostra sensuum caligines, & captum multitudinis, egredremur, expeditior nobis ad-

<sup>4</sup> huc illa in veritatem essentiarum via esset, diuinæ  
menti nostra arctius iungeretur.

§. 6.

**A**T vero quoquo se illud habet modo, dantur tam  
amen oppido non pauca in mundo, hoc est, rerum  
creatrarum serie, quorum dispositionem essentiale  
explicare ingenii humani solertia nequicquam hacte-  
nus laborauit. Atque huius quæ sunt indolis *Mysteri-  
orum* nomine vulgo insigniuntur; & definiri solent,  
quod sint res, quas quoad existentiam scimus, quo-  
ad modum & essentiam plane ignoramus. Quemad-  
modum de illis in Scholis obtinet canon: *res patet,  
modus vero latet.* Horum sublimitatem cum ita non æ-  
quet finita ratio, inuenit nihilominus explicationem,  
quæ ad concipiendum, ad credendum satis, licet ad  
comprehendendum nihil fere faciat.

§. 7.

**Q**Uænam in mysteriis numerari iuste mereantur,  
specialior eorum in sequentibus consideratio ex-  
cutiet. Id hic in antecessum moneo, requiri, ut soli-  
dum in Natura, immenso isto immensi creatoris arti-  
ficio, habeant fundamentum. Vnde ex perceptio-  
num cum hoc conuenientia, de reali illorum existen-  
tia conuinci mens potest. Quo ipso cum contradic-  
tibus impedita non esse simul intelligantur, dicuntur  
concipi posse; non tamen comprehendendi, quatenus intel-  
ligendo ea velut exhaustire mortalium contingat  
nemini. Si autem nostra de actualitate eorum co-  
gnitio intelligentium & ingenuorum testium solum ni-  
catur relatione credi isto in casu Mysteria dicuntur.

§. 8.

**C**um autem in Mysteriis & mirabilibus arripiendis decipi non tantum vulgo, & capite censis, sed etiam doctrina & honore fulgentibus viu læpe veniat; incredibili opus circumspetione, cura & sollicitudine maxima, in rite iusteque sensuum in his pensandis obseruationibus, ne vñquam de rebus, fallaci suspensis lance, ybi alienam, optica velut fraude, exhibuere faciem, temere pronunciemus. Reiiciendæ itaque sunt præsumtæ & præiudicatæ opiniones omnium, adparentiæ, circumstantiæ singulæ iteratis vicibus, expendendæ, scrupulosaque exutiendæ diffidentia. Cum etiam fama tam ficti tenax, quam nūncia veri esse soleat, in narrationibus, dictis, cogitatis, quæ circumferuntur solertissimorum etiam Naturæ inquisitorum, adsumendis, morem istorum Judicum sequi conuenit, qui antiquitus post velum causas cognoscere consueuerunt, vt quid diceretur, audirent; quis diceret, non viderent. Atq; tali cauta, nullis affectibus, nullis præoccupata votis, adtentio adhibita, obseruationum, ex rerum naturalium promtuariis desumptarum, demum inferre veritatem possumus; sed simul exactissime attendere, ne quid nimium colligamus: cum, ex rotundo Ciceronis ore, suis et si cuique modus est, tamen magis offendat nimium, quam parum.

**V**T oppositorum opposita est doctrina, ita ex iis, quæ in veris, & fide dignis, Naturæ Mysteriis requiri

requiri dicta sunt, in proclivi est perspicere, quænam  
in Mysteriorum classem relata, pro merito suspectis,  
a prudentioribus, haberi debeant. Ea nimurum, in  
quibus ~~est~~ <sup>est</sup>, occultum aliquod inesse multis est per-  
suasum; sed cuius nullum reale vestigium in naturæ  
adparet viribus, ipsi ideo a Creatore impressis, ut a-  
gat ad finem conuenienter. In quorum itaque  
natales inquirenti si patuerit esse abortus malo  
genio patre, superstitione matre exclusos, esse phan-  
tasmata, & entia ficta, quibus exæstuans quorun-  
dam imaginatio, super mentis theatro, liberius lu-  
dit; quo loco habenda sint simul intelligitur.  
Non enim sufficit ad fidem, de reali eorum, quæ  
dicuntur existentia, faciendam, quibusdam hoc, vel  
illo modo, aliquid adparuisse; inde inter pueros ru-  
morem esse. Cum satis iam expioratum ex princi-  
piis, & experimentis Opticis habeamus, plurima se-  
se aliter habere, quam adparent. Quid? plurima e-  
tiam a plurimis finguntur, quae sibi mutuo repu-  
gnant; quae, naturæ vi, in eodem subiecto coniun-  
gi nequeunt; quibus nulla notio respondet: hoc est,  
quibus vera & mascula experientia contrariatur Ve-  
rum enim haec ita disputata, vt exemplorum vita  
velut animentur, Naturæ quaedam genuina, & fide  
digna iam dabo Mysteria; illis spuria, & merito su-  
specta subiuncturus.

### ARTICULI SPECIALES.

#### § I.

**M**undum hunc adspectabilem in genere conside-  
tranti occurrit ipsius *Creatio* inter Mysteria pri-  
mo

mo referenda, cum modus, quo, diuinæ virtutis dextera, ex nihilo factus, quo, ex compositione, pro partium, & combinationis, diuersitate, determinata, essentiam nactus est, Rationi sit imperuestigabilis. Hinc fatuis vagabundorum quorundam ingeniorum ignibus facescere iussis, qui, arroganti curiositate, ultra quam decet hic sapere voluerunt, fidem vnicę habet historiæ, quæ penes Scripturam est, delineationi, quæ penes Mosen, Deo dignissimæ.

§. 2.

**M**undus autem hic, cui ita existentiam concessit Numen, in quantam amplitudinem sit diffusus, qua tot innumerabiles corporum, mutuas sibi occurrentium, moles capere potest, Mysterium etiam nobis est, & manet. Si enim corporum istorum magnitudinem, ordinem, motum, ac distantiam, ad normas, regulas, analogias, Mathematicis conuenientes principiis, redigere quæsiveris, talem mundi compaginem deprehendes vastissimam, quæ ratione nunquam comprehendi potest. Maxime, cum stellarum etiam numerus determinari nequeat; sed quo excellentiora fuerint telescopia, eo plures continuo adparereant, pro distantiæ a nobis diuersitate, diuersa notabiles magnitudine. Quid? quod tota hæc nostra sphæra, totum hoc sidereum cælum, quod, vel intermis, vel armatis, usurpamus oculis, punctum modo respectiue esse possit ad vniuersum finitum. Finitum, inquam, cum omnes cæli, quanti quanti sint, omnes sphæræ, ac vortices, oportet finem ab inf.

**8** infinito, numerum habeant, a fonte omnium numerorum definitum,

**§. 3.**

**R**ibus hos intra fines collocatis illud etiam addidisse pondus Sapientiam illam, quæ singulas pri-  
mum iuste librauit, ut nexus ad se inuicem, & relatio-  
ne, œconomiam vniuersitatem administrarent commodissi-  
me, dubium ipsi esse nequit, qui quomodo mutatio-  
nes, & effectus omnes, a suis producantur caussis,  
quomodo sic secundum indolem principii decantatis-  
simi Rationis sufficientis, secundum naturam suam,  
singula fiant, perquirit. At vero qualiter singulæ  
mediante connubio, ex dispositione sua essentiali, ad  
mutuos quasi amplexus sece accingant, ut, quoad spa-  
tium, nexus simultaneorum pendeat ex caussis finali-  
bus, quoad tempus, nexus successuorum pendeat ex  
caussis efficientibus, vnde sapientissima, intuitu Cre-  
atoris, mediorum & finium subordinatione, ultimum  
ipse constituti huius nexus finem obtinet, abscondi-  
tum nobis manet, quorum experientia in proximis ve-  
plurimum terminatur caussis. Est ergo & hic rerum  
vniuersalis nexus nobis Mysterium. Vnde simili te-  
merarium esse patet, audaces de his, aut illis, rebus  
ferre tententias, quatenus seorsim spectatae ignoran-  
tiam nostram ad sinistra sollicitant iudicia, ubi earum  
cum aliis omnibus, in stupendo hoc diuinæ sapientiæ  
opere, connexionem cernere minus valemus.

**§. 4.**

**I**am ad specialiora omnia in Mundo descendere, & ex-

iis Mysteria, quæ aciem ingenii nostri eludunt, ordine exponere velle, immensæ operæ opus esset, quod Hercules desiderat, non mei similes. Ea igitur tantum, per lancem velut saturam, hic primum exhibeo, quæ in quatuor Naturæ Regnis, Elementari, Minerali, Vegetabili, & Animali occurruunt; inde ad occulta Hominum & Angelorum transeundo. *Elementare* itaque dicitur *Regnum*, quod entia sub se complectitur simplicia, ex quibus composita componuntur. Cuiusmodi simplicia dari facile demonstratur. Materiæ enim, ex qua corpora maiora, & sensibilia, constant, variæ, experientia teste, existunt species, varias in partes diuisibiles. Sed partium etiam partes in inenarrabilem copiam, & admirandam plane subtilitatem abire posse, obseruationes, ac tentamina Curiosorum, physica, atque chymica, probant. Cum tamen rerum vere existentium progressus, in analysi, in infinitum implicit, nec sic unquam ad sufficientem compositionis compositorum rationem perueniri possit; oportet, dentur simplicia, partibus carentia, ex quibus primo componi, & in quæ ultimo resoluti, res materiales concipiuntur. Quomodo autem unum horum cum aliis coexistat; quomodo intrinsecum, stupendum dictu in tanta multitudine! admittant discrimen; quomodo compositum aliquid efficiant; id distincte eruere velle, & aliis noscendum prodere, laborem vere dixeris silpheum, in se redeunte, ac incertum. Mysteriis itaque hoc scatet *Regnum Elementare*.

## §. 5.

**R**egnum Minerale, quo metalla, lapides, terras quasi  
uis minerales, salia, atque sulphura, latiori re-  
feras sensu, multa suo etiam continet complexu my-  
steria. Sic, per ministerium aut naturæ ipsius, aut ar-  
tis, chymica analyſi & syntheſi, ad horum pri-  
mogeneas partes, partiumque constitutionem  
aliquali licet perueniatur modo; modus tamen gene-  
rationis eorum & incrementi, specifice determinari  
nequit, cum rationes eorum nondum pateant idone-  
æ. Et inquirunt adhuc Naturæ interpretes in vim  
mineralium magneticam, & electricam; in cauſas  
mineralium figuratorum; lignorum, aliorumque  
corporum petrefactorum; in diuersum diuersissimo-  
rum terræ stratcrum situm, quomodo in profundis  
oribus fossis sibi superimposita iucundo deprehen-  
duntur adspectu. Quorum quidem explicationes  
multi dederunt, sed quæ partim fabulis Romanen-  
sibus non adeo absimiles sagacioribus videntur.

## §. 6.

**G**loriantur illi, qui Naturæ arcanorum partici-  
pes ipsi quodam modo esse a secretis videri  
volunt, de *Virgula quadam diuinatoria*, corylina ut  
plurimum biturcata, nobis *Slagruta* dicta; de *Chry-  
sopæia*, sine ignobiliorum metallorum in aurum  
transmutatione, quorum etiam mentio hic iniici-  
enda. Improbabilia ea nonnullis videntur, ne di-  
cam, ipsorum more, impossibilia, quod dicere bar-  
barum est, & φιλόσοφος. At vero contrarium hi-  
stori-

storiā ingenuam, dierūmque experientiam, secūtis videtur. De modo tamen, quo hæc effici possunt, cum verum scientes sileant, verba dent ignari, nos, ceu de occultis, nihil dicere possumus.

## §. 7.

**R**egnum Vegetabile, quo spectant ea, quæ e terra progerminando, superficiem eius speciola ornant dignitate, sua etiam habet Mysteria. Et primo quidem, quod generationem Vegetabilium ad- cīet, quodlibet suo gaudere semine certum est, in quo prima futuræ plantæ rudimenta dantur. Quæ vero plantarum compendia vnde in semen dalata, quomodo mechanice elaborata, neque systema *In- uolutionis Malebranchii*, neque *præexistētia* aliorum, explicabit ynquam. Hinc ab ordinaria hac, qua plantalis œconomiæ ordo & vigor conseruatur, propagatione si discesseris ad extraordinariam, ex foliis, ramis, radicibus, ipsisque cineribus, quomo- do inde diuīti formæ quævis suæ possessione planta oriri possit, ceu fieri testatur experientia, vbi pri- mo organico seminali ex puncto partes extra par- tes non producuntur, ob subtilitatem vix expedes. Considera porro, quæ docet de zoophytis, siue plant- animalibus experientia; de diuerso plantarum sexu, masculino & femino; de plantis hermaphroditis; de facultate plantarum magnetica, & habebis, quæ ratio minus capiet.

## §. 8.

**R**egnum Animale, quod concinna compositione,  
Bz per-

perfectione plane obstupescenda, quo plura Brutorum, suo ambitu ostentat genera, eo plura mysteria continet. Pauca speciminis loco adtingam. Ipsa generatio animalium, quo obuia magis, quo hinc magis examinata, eo examinerib<sup>9</sup> suis, vbi ad principia perueniendum, intricata magis exstitit. Res etiam est intricatissima agere de animabus Brutorum, pro discrepantia specierum inter se discrepantibus; de commercio animam ipsorum inter & corpus, in quo, per harmoniam actionum exactissimam, partes hæ essentiales consociatæ continentur; & eo soluto, quo tandem a corpore concedat; de Antipathia, & sympathia Brutorum, qua aut vnum fugit, fugatque, alterum, aut simile simile trahit. Hæc, inquam, vt alia silentio præteream, cum experientia sub moderamine rationis vere existere monstrat; modum tamen, quo fiunt, & esse suum habent, detegere ratio nequeat: quin igitur naturæ sint Mysteria quis ambiget?

## §. 9.

**E**A, quæ in *Homine*, Mundi adspectabilis præcipuo incola, obuia sunt, contemplantem eo magis fatigant, quo luculentius omnium vigor ex vi-gore pendent inuisibili Animæ immortalis. Atque hanc ipsam non tantum res extra se, sed etiam se ipsam, in se ipsa contemplari, vt per experientiam, & intimam cuinis constat conscientiam; ita nihilo minus vix quicquam nobis ignotius esse anima nostra, eiusque in primis origine, res fateor, magnæ est

est admirationis. Vbi autem cum substantia corpor-  
rea viuita consistit, secundum leges commercii utri-  
usque substantiae vires eo exserit modo, vt floren-  
tibus nunc, nunc languentibus, corporis, quod oc-  
casionem, & subsidium exigitum præbet, viribus,  
ipsius etiam, aut magnæ, aut exiguae valde adpar-  
eant vires. Ut tamen vbi a corpore prorsus dese-  
ritur, hæc statum suæ seruet personalitatis, priuile-  
giis æternitatis egregie munita. At vero non his  
tantum insunt, quæ captum nostrum transcendunt,  
dantur & alia in homine, quæ singula ad viuum  
relecare non potueris. Tibi modo ob oculos hic  
pone cateruam exemplorum, quæ quid imaginatio  
morbosa, & in vehementioribus affectibus longius  
diuagata, valeat commonstrant. Qualia sunt Enthu-  
siastarum, Noctambulonum, Matrum, ad qua-  
rum animi ~~παθήσεως~~ embryones sæpe tristius detor-  
mantur. Quis etiam Matrum adipetus mire ali-  
quando exorbitantes regula veritatis rite metiatur?  
& quod iam masculam, iam femineam pariant  
prolem, pro indole sua, & natura, ab aliis physio-  
gnomia, & corporis distinctam lineamentis. Alia,  
quæ addi possent, numero plurima, pondere gra-  
uissima, iam non addam; cum vel ex his in con-  
fesso sit, hominem, qui immortali mente, moribun-  
dis membris, tarda sapientia, cita morte, terram  
incolit, talia complecti, quæ nobis Mysteria dicun-  
tur.

**A**D spirituales substantias, quæ Angelorum nomine veniunt, dicit me tandem ordo rerum. Quod autem dentur eiuscmodi spiritus, præter scripturam, ceu principium hic subsidiarium, fama per orbem, experientia fundata, vniuersalis probat. Cumque ex factis illorum, eadem via, tuto sumitur, gaudere eos intellectu, qui comitem voluntatem habet individuam; ex analogia operationum intellectus nostri ad ipsorum intelligendi actus fieri quidem iudicium qualemque potest; modus tamen cognitionis eorum nobis minime est expeditus. Sic ignoramus, qua ratione suas cogitationes inuicem, alii cum aliis, communicent, qua etiam ratione ea, quæ statui suo conuenienter volunt, ad menturam quilibet potentiae suæ exequantur. Ignoramus quomodo donis suis naturalibus, immo & moralibus, alii aliis præstent, quos ordines feruent. Quamuis in hoc natura sensibilis simulacrum sit naturæ intelligibilis, ut eiuscmodi quid in hac dari, ab illa concludere queamus. His iam pensatis, mecum, si læua non sedeat mens, adfirmes, ea, quæ de Angelis scimus Mysteriis esse inuoluta.

**C**onsiderationem Angelorum ad Homines respiciam, in effectibus præsertim, qui solis humanis viribus non præstantur, sed in horum cum illis commercio quodam fundari videntur Mysteriorum, inter hæc Naturæ Mysteria, dixeris Mysterium,

um. Respectum talem non sine ratione hic supponi, ex experientia partim, partim, ceu aliunde cognitum, ex fine creationis Angelorum, euidens est. Vnde discimus Angelos stipare homines, variò iam, pro conditione hominum, adproximationis generi; ita tamen, ut boni Angeli, cum illa hominum parte, cui, ratione consimilis substantiæ, vniuersitate, indoli spirituum conuenienter possunt, intimiore eo non vniuantur connubio, ut ab illis oblesci homines dici possint, cum horum, quo est excellētior sanctitas, eo homines minus ludere potest. Licet talem vniōnem peculiarem, ad prouidentiæ diuinæ nutum limitatam, mali aliquando cum hominibus ineant Angeli; quod ex Energumenis, ex Magia dæmoniaca, vaticinante, vel operante, liquido constat. De quorum existentia genuinis, aut diuinis, aut humanis, qui conuictus testimoniis, singula, de quibus disceptatio inde institui potest, morosius si voluerit excutere habebit certe, quod agat, quod peragat, vix inueniet.

### §. 12.

**G**enuinis, altius id repeto, opus maxime est, ut conuincatur intellectus rationibus, de reali eorum existentia, quæ commercium aliquod Angelorum cum hominibus inferre videntur, antequam ad ultimum de iis iudicium descendit. Cum enim saepe in his de corio agatur humano, a baculo ad angulum argumentari minime licet. Indignum & illud hic doctis est præiudicium, quo facta

facta quævis insolentiora, quæ ope virium Naturæ occultiorum præstari possunt, promte, & breui, quod dicitur, manu, Angelis, aut bonis, aut malis adseribunt, prout grata, vel ingrata hominibus accidunt. Huic præcipitio contrarium illorum est, qui de omnibus hic temere dubitando, ad rauim usq; negant, quæ satis euidentia rationi esse non videntur. In quo tamen corrigi vtcunq; possent, si defensores horum a crudis positionibus & expositionibus aliquantum remitterent, quæ ita comparatae sæpe esse solent, vt aut visibilem, aut inuisibilem euentant naturam. Ne vero temere credendo, secure quis decipiatur, obleruanda, quæ §. 8.

Art. Gener, dicta sunt,

§. 13.

**R**ecensitis Mysteriis merito suspecta subiungo, quorum ferax semper fuit indicata modo Angelorum ad homines consideratio. Spectant huc portenta quævis stultissima, monstrosi Spinges & Centauri, quibus ex impostura & delusione callidiorum, vel credulitate, & superstitione simpliciorum, fictis semel, & refictis, vbi de vi aliqua supernaturali cogitatum, ad conclusiones Spiritus, aut benigni, aut maligni, reuocati sunt, Tales etiam Spiritus certis characteribus, verborum, & rituum præstigiis a malefanis ad obsequium cogi, iam abi-  
gi posse, quis sanioris mentis compos crederet? nisi libere aliquando adsint, vt homines in super-  
stitione, & impietate, confirmant. Idem de rota

Magia

Magia præstigiatoria esto iudicium, qua signa, & murinur subitum veneficorum, sagarumque, effetus, tanquam caussas suas, sequi mirandos dicunt. Notæ quoque satis relationes de anniuenterario sagarum conuentu, concubitu earum cum dæmone transformatione in lupos, feles, canes; quæ omnia vera dari qui adseruerit, habitudinem æque intelligere rerum est censendus ac Homerum plittacus.

## §. 14.

**S**ed fuit & hominum phantasia laboriosa in a. uide arripiendis & excogitandis Mysteriis ex aliis rebus passim obuiis. Omitto hic, quæ de gentibus mirandarum formarum vulgo traduntur: ex. gr. de gentibus capite parentibus, oculos vero habentibus in pectoribus; de gentibus prono pectore, instar quadrupedum, ambulantibus; de hominibus marinis, qui capti ad nostra etiam quædam fuere docilia. His enim addat quisque, vel demat, ex ingenio, fidem. Ipse nescius non sum, quæ de his habentur relationes eius esse indolis, ut genuinam fidem historicam gignere vix possint. Imaginationis etiam eas esse aberrationes, vt bestiæ pro hominibus sumi possint, ubi similitudo accesserit aliqualis. Nobis memorabo cognitiora. Qualia sunt hæc tralitia: occitorum corpora occitoris prodere prætentiam sanguinis effusione; ars puncta collocandi; modus fata ex nominibus explorandi; commenta de diebus tempestatum prænunciis; commenta de miraculis, & prælaguis futuri boni, vel mali, ex effecti-

C

fectibus naturalibus desumtis: vt ex adspectu cometarum, parheliorum, paraselunarum, auroræ borealis, ignium fatuorum, lambentium, draconum volantium; ex auditu eiulatus noctuarum, v lulatus canum, tinnitu i plarum aurium; ex occursu variorum animalium. Quibus accedunt, quæ dici tollent de anima mundi, sive spiritu naturæ vniuersali, anima metallorum; anima vegetabilium; aliisque, in quibus Eruditæ, experientiam captiuam ducendo, suorum ipsi dulcium speculationum laqueis ita capti sunt, vt existentiam subsumserint de iis, in quibus in cæteris expediendis doctæ suæ ignorantiae symbolum obuertere coacti sunt: Non liquet.

## §. 15.

**N** allatis his vltimis §§. non dispoto, quid supra naturam naturæ aliquando velit Auctor. Naturæ ille solus leges præscripsit; solus eas tollere, aut suspendere, valet. Si etiam in eiusmodi infinitæ potentiaæ suæ operibus, ministerio aliquando vtatur spirituum aliorum, ea propriæ horum minus adscribenda potentiaæ sunt: quippe quæ eo extendi non debet, vt vim, modumque agendi, creati excedat entis. At obiiciat aliquis: quid iactas? Natura tu ad unguem calles vires, vt etiam quid Angelorum, quid rerum aliarum, naturali proportionatum potentia sit, in numero eo habeas. Absit hæc tanta, tamque vana, a pectore meo fiducia! Quid homo possit, homo vt plurimum scire potest, quid Angeli, Natura, toto suo ambitu, non æque sit: quemadmodum hoc planum super-

superiores faciunt ἃς. Attamen naturæ discipulus, Deo & naturæ, contentanea, in quantum ultra vi-  
rium vnciolas id non est, loqui allaboro. Sicubi  
cæspitauero, Tua humanitas, illa veræ sapientiæ  
aura, alleuamento mihi erit. Iam autem constat  
inter sagaciores, Naturæ rerum hoc conuenire, vt  
vel nouarum rerum productio, & multiplicatio, vel  
earum in aliam speciem transformatio, ab Angelis  
præstari non possit. Licet concederim quam liben-  
tissime, malorum spirituum præstigiis glaucoma  
posse sensibus offundi, vt credant homines ea, quæ  
nunquam sunt; cum præter hæc omnia illorum o-  
pera, ex intentione, sint fallacia. Eadem ratione  
scientia ipsis abneganda eiuscemodi contingentium,  
quæ esse prorsus incertum in caussis suis habent.  
Qui vero res nihilominus, quæ vulgo mortuæ au-  
diunt, de talium futurorum scientia homines instru-  
ere posse nugantur, næ illis natura magna Dea est.  
Eiurent tandem, eiurent superstitionem vanissimam,  
& quæ ficta Numina, aut fictæ, anicularum fabu-  
læ, a cunis, aut aliæ postmodum suspiciones, quæ,  
vt vespertilioes, in tenebris volare solent, insinua-  
runt colenda, Ianoribus consiliis detestentur; cum  
destruant hæc, quæcumque exstruit in animis nostris  
Ratio, & Scriptura diuina, cuius dictamina falsitatis  
nesciunt tangi confinio.

Ἄξιον εἰ, κύριε, λαβεῖν τὸ δόξαν, καὶ τὸ πνῦν, καὶ τὸ δύ-  
ναμιν. ὅν σὺ ἐκλίπεις τὰ πάντα, καὶ διὰ τὸ θέλημα σὺ εἶσι, καὶ  
ἐκπόθουσ. Apoc. 4. II.

VIRO IUVENI  
Doctrina & moribus Ornatisimo,  
Dn. ABRAHAMO FROSTERO,  
Respondenti suo, & Amico Ingenuo,  
S. & O.  
LAURENT. STEENBUCR.

Quid tandem multis impallescimus chartis, doctorum  
scripta nocturna versando manu, versando diurna?  
Quid nosmet varie fatigando, vitam ipsam abrumpimus,  
tot speculationes, & res saepe imaginarias in umbroso ver-  
tice decircinantes, quot capere orbis vix posset alter & alter?  
Nam & bac, sapientiorum iudicio, sapientiae humanae pars  
est, quædam equo animo nescire velle; & sapientia vera,  
nolle nimis sapere. Non detrabo quicquam obligationi diu-  
ne, qua intellectum ad maiorem in dies perfectionem euehe-  
re tenetur homo; sed tantum culpm nimii perstringo, in  
verum in primis indagine, que cognitæ nec adeo felicem,  
nec infelicem ignorare quemquam reddunt. Et dicam quod  
res est; hanc humanae sapientiae summam nondum didicere  
omnes: se ipsum noscere, & finem respicere. In qua, tan-  
quam in puppi vita humana gubernaculum consistit; & tan-  
quam in prora, veri honoris vexillum erigitur. Hinc in-  
tebus, quæ acism effugiant rationis, opinionibus vana sub-  
tilitate luxuriantibus capiuntur; ad vitæ usum nihil con-  
formando, nihil ad salutis publicæ modulos exigendo. Que-  
sus coram me sapius es, Doctissime Frostere, de talis  
Philosophia nostræ contagione, qua in multis refert plus  
torna curiositatis, quam scientia, plus subtilitatis, quam  
sapientia. Cum igitur quædam cornu, qua Nature no-  
minant

minantur Mysteria, quibus explicandis, ut suam explent  
curiositatem, multum opera multi insunt, breui Aca-  
demico exercitio includere, inclusa placide meliorum censu-  
ra submittere constitui, gratum id mihi valde accidit,  
quod ipse TE ad partam Respondentis in his ornatum ul-  
tro offerebas. Idque eo magis, quo m hi, in eodem bone-  
stissimarum artium circo TECUM agenti, notior eras docu-  
mentis, que dedisti animi ad omnem virtutis difficultatem  
mascule exsurgentis; que etiam vnamini hic voce predicant  
illi, quibus aduersus eminentes sinistra non sedet interpre-  
tatio. Ut autem nobis, si ex nostro digne censi nomine  
volumus, rerum omnium Moderator, pura mentis pietate,  
exorandus est, innocuis conatibus ut auspicium & tesseram  
prosperi clementer largiatur euentus; ita Tuis porro insti-  
gatis aliis, ut idem Numen faueat sanctissimum, devote &  
go votis contendō omnibus.

Till Respondenten  
Herr ABRAHAM FROSTERUS;  
Sinom goda Wän.

**N**E dygden lönas bör / och wördas utaf alla;  
En hwar / som någon smak fått för desf rena  
Kan icke annars än på samma tanckan falla/  
Fast odygd står emot / med ifwer / väld och kraft.  
De gamle dersör' wist' råt artigt dygden likna  
    Wid Palmtrås gröna qvist / som blir väl tryckt af sten;  
Men trånger sig doch mot / och gier ej öfwer qwickna/  
    Samt våxa up i sky, med mången fager gren.  
Sij! denna orsjak är / at ock i fördna dagar/  
    En redlig / tapper och beständig dygdens wän /  
Vlef städse hedrad med en Crantz af Palm och Lager.  
Den Seden plå hos os och andra brukas än.  
Bland Pallas Söner ock / om nogon then förtienat /  
    Så åren J ock en / min Bror; si !det är wist.  
Ty J ha dygden ej för blott ett sken skul länat  
    Mien hysen henne i Ehr barm förutan list.  
Fast lyckan warit Ehr nog widrig / swår och trånger /  
    Alt hielp och understöd i ganska litet haft;  
Han J doch repat mod / och på en tid så langer/  
    Stätt stadigt på Ehr Post / och icke gifvit tapt.  
Fördenskul jag här wil af hiertat troget önska /  
    Alt Eder flit må få sin wälförtienta lön;  
Doch at Ehr loctos qvist en gång må kunna grönsta  
    Sehn få i ewighet en åhrekrona stion.

LAURENT. ALSTRIN.